

RITUS SERVANDUS A SACERDOTE

# SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS

FIDELIBUS

EXTRA MORTIS PERICULUM

CONSTITUTIS ADMINSTRANTE

EX SEDIS APOSTOLICÆ DELEGATIONE

1. Cum tempus advenerit, quo Sacerdos, utens facultate sibi ab Apostolica Sede, ut supra, tributa, administrare Confirmationem intendit, superpelliceo et stola, vel etiam pluviali albi coloris indutus, stans ante Altare versus ad populum hinc inde dispositum (masculis a dexteris, feminis vero a sinistris), circumstantes admoneat, quod nullus alius, nisi Episcopus, Confirmationis ordinarius Minister est; se vero collaturum esse illam jure per S. Sedem delegato.

2. Mox, si hujusmodi delegatio per indultum facta fuerit, delegationis Decretum lingua vernacula legatur alta et intelligibili voce; deinde Sacerdos moneat astantes, quod nullus confirmatus discedat, nisi benedictione accepta, quam ipse post omnium Confirmationem dabit. Item, quod infantes, si quos in prima ætate justa de causa (juxta superius dicta I, n.3) confirmandos existimaverit, per patrilinos teneantur in brachiis dexteris, et quod adulti ponant pedem suum super pedem dexterum patrini sui; vel patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi, sive infantis sive adulti.

3. Hac altera monitione completa, pariter stans versa facie ad confirmandos, junctis ante pectus manibus, confirmandis vero genua flectentibus et manus ante pectus junctas tenentibus, dicit :

Ÿ. Spírítus Sanctus supervéniat in vos/te, et virtus Altíssimi custódiat vos/te a peccátis. R̄. Amen.

4. Deinde signans se a fronte ad pectus signo crucis, dicit :

Ÿ. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

R̄. Qui fecit cælum et terram.

Ÿ. Dómine, exáudi oratióem meam.

R̄. Et clamor meus ad te véniat.

Ÿ. Dóminus vobíscum.

R̄. Et cum spírítu tuo.

5. Tunc extensis versus confirmandos manibus, dicit :

Orémus. **Oratio**

**O**mnípotens sempitérne Deus, qui regeneráre dignátus es hos fámulos tuos ( hunc famulum tuum / hanc famulam tuam ) ex aqua, et Spírítu Sancto, qui- que dedísti eis remissióem ómnium peccatórum : emítte in eos ( eum/eam ) septifórmem Spírítum tuum Sanctum Paráclítum de cælis. R̄. Amen.

Spírítum sapiéntiæ, et intelléctus. R̄. Amen.

Spírítum consílii, et fortitúdinis. R̄. Amen.

Spírítum sciéntiæ, et pietátis. R̄. Amen.

Adímple eos ( eum/eam ) Spírítu timóris tui, et consígna eos ( eum/eam ) signo Cru†cis Christi, in vitam propitiátus ætérrnam. Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spírítus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. R̄. Amen.

6. Postea Sacerdos confirmat illos (illum/illam) per ordinem genuflexos, primo mares, secundo feminas. Uno ordine confirmato, illi surgunt, et alii genuflectunt, et confirmantur, et sic usque in finem.

Inquirit autem singillatim de nomine cujuslibet confirmandi, et summitate pollicis dexteræ manus Chrismate intincta, confirmat eum dicens :

**N. Signo te signo Cru†cis**

quod dum dicit, imposita manu dextera super caput confirmandi, producit pollice signum crucis in fronte illius, deinde prosequitur :

et confirmo te Chrismate salutis. In nómine Pa†tris, et Fí†lii, et Spíritus † Sancti. ʘ. Amen.

Et leviter eum in maxilla cædit, dicens : Pax tecum.

7. Ligantur mox vittis lineis recenter confirmatorum frontes. Quod sicubi hujusmodi vittæ non adhibeantur, Sacerdos, postquam frontes confirmandorum linierit sacro Chrismate, eas gossypio, postea comburendo, diligenter abstergat.

8. Omnibus confirmatis, Sacerdos tergit cum mica panis, et lavat pollicem et manus super pelvim ; deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piscinam sacra-rii, in qua reponi debent etiam supradictorum gossypiorum cineres.

9. Interim dum lavat manus, si adsint ministri, cantatur, vel legitur ab iis sequens Antiphona ; alias post lotionem ab ipso Sacerdote dicitur :

Confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem. ʘ. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto : Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen. **Et repetitur Antiphona : Confirma hoc, etc.**

10. Qua repetita, Sacerdos stans versus ad Altare, junctis ante pectus manibus dicit :

Ÿ. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

℞. Et salutáre tuum da nobis.

Ÿ. Dómine, exáudi oratióem meam.

℞. Et clamor meus ad te véniat.

Ÿ. Dóminus vobíscum.

℞. Et cum spírítu tuo.

Junctis vero adhuc ante pectus manibus, et omnibus confirmatis devote genua flectentibus, dicit :

Orémus. **Oratio**

**D**eus, qui Apóstolis tuis Sanctum dedísti Spírítum, et per eos eorúmque successóres céteris fidélibus tradéndum esse voluísti : réspice propítius ad humilitátis nostræ famulátum, et præsta ; ut eórum corda (ejus cor), quorum frontes (cujus frontem) sacro Chrísmate delinívimus, et signo sanctæ Crucis signávimus, idem Spírítus Sanctus in eis supervéniens, templum glóriæ suæ dignánte inhabitándo perfíciat : Qui cum Patre, et eódem Spírítu Sancto vivis et regnas Deus, in sæcula sæculórum. ℞. Amen.

11. Deinde dicit : Ecce sic benedicétur omnis homo, qui timet Dóminum.

Et vertens se ad confirmatos, ac faciens super eos signum crucis, dicit :

Bene†dicat vos/te Dóminus ex Sion, ut videá(ti)s bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ vestræ/tuæ, et habeá(ti)s vitam ætéram. ℞. Amen.

12. Absoluta hoc modo Confirmatione, Sacerdos sedens paternos et maternos monet, quod instruant filios suos bonis moribus, ut fugiant mala, et faciant bona: et doceant eos Credo in Deum, et Pater noster, et Ave María, quoniam ad hoc sunt obligati.

**C**redo in Deum  
Patrem omnipotentem,  
Creatorem cæli et terræ.

Et in Iesum Christum, Fílium eius únicum,  
Dóminum nostrum,  
qui concéptus est de Spíritu Sancto,  
natus ex Maria Vírgine,  
passus sub Póntio Piláto,  
crucifixus, mórtuus, et sepúltus,  
descéndit ad íferos,  
tértia die resurréxit a mórtuis,  
ascéndit ad cælos,  
sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis,  
inde ventúrus est iudicáre vivos et mórtuos.

Credo in Spíritum Sanctum,  
sanctam Ecclésiám cathólicam,  
sanctórum communiónem,  
remissionem peccatórum, carnis resurrectionem,  
vitam ætérrnam. Amen.

**P**ater noster, qui es in cælis,  
sanctificétur nomen tuum,  
advéniat regnum tuum,  
fiat volúntas tua sicut in cælo et in terram.  
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie,  
et dimítte nobis débíta nostra,  
sicut et nos dimíttimus débitóribus nostris.  
Et ne nos indúcas in tentatiónem.  
Sed líbera nos a malo.

**A**ve María, grátia plena,  
Dóminus tecum.  
Benedicta tu in mulieríbus,  
et benedíctus fructus ventris tui, Jesus.  
Sancta María, mater Dei,  
ora pro nobis peccatóribus,  
nunc et in hora mortis nostræ. Amen.